1843, 11 gennaio

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte Fili Noster salutem et Apostolicam Benedictionem. Fructum precum ad auctorem bonorum omnium Dominum, quas pio constantique animati studio filii Nostri fundunt pro Nobis agnoscimus in prospera valetudine qua, ut audis, utimur, Nosque Tibi confirmamus, perinde ac ceteris tam multis, quibus licet immerentes, Deo largiente, ejus fruimur beneficiis. Cui Nobis impetrandae Divinae benignitatis largitati pro cognita Nobis pietate Tua et peculiari affectu devincta voluntate quo magis Te contulisse persuasum habemus, eo impensius Tibi gratias agimus; et pari paterni animi affectu respondentes fausta omnia et salutaria, auctaque in dies ex profectu commissarum pastorali curae Tuae ovium gaudia ab Nato ex Virgine Dei Filio quantum contendere supplicando possumus vicissim imploramus. Pignus autem precipuae caritatis Nostrae Apostolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili Noster, iisdemque ovibus peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die

Istituto Campana Osimo ®

XI. Januarii M D C C C X X X X I I I

Pontificatus Nostri Anno Duodecimo

Gaspar Gasparini

Dilecto Filio Nostro

Ioanni Tituli SS. IV. Coronatorum

Presbytero S.R.E. Cardinali Soglia

Episcopo Auximati et Cingulano

Istituto Campana Osimo ®